

estis, Patriam cœlum cogitate. Qui pauperes, & nudi estis, scitote Christi iustitiam vestram vestem & tunicam salutis esse. Atq; hanc vestem custodite, *ne nudi ambuletis, & videant turpitudinem vestram*; Apoc. 16.

CAPUT XXXVI.

DE UTILITATE, FRUCTU ET viribus orationis, & quib⁹ fundamentis debeat niti oratio nostra.

Hebr. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus: ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Gratia in Christo est fundamentum nostræ orationis. Dei gratia est in solo Christo.

VOCem meam audi secundum misericordiam tuam Domine; inquit David Psalm. 119. indicans orationis nostræ fundamentum esse gratiã Dei, in Christo Domino nostro, qui est *plenus gratia & veritate* Joh. 1. & de cuius plenitudine omnes accipere oportet, Rom. 2. ad quẽ proinde ceu verũ gratiæ thronum exemplo filiorum Israël orantiũ, oculos fidei precaturi convertere debemus. Nam in huj⁹ nomine promittit nobis Deus se orationes nostras exaudi-

audi-